

# SUMMA RERUM OMNIUM

QUÆ IN HOC TOMO ET SEQUENTI DISPUTANTUR.

In quinque principalia capita totum opus distribuntur. De sacramentis in genere. De baptismo. De confirmatione. De sacrosancto Eucharistiæ sacramento. De arcano Missæ sacrificio.

Unaquæque ex his partibus in duas præcipuas dividitur. Prior speculativa seu dogmatica vocari potest. Posterior, moralis et practica. In priori namque institutio sacramenti, natura, essentielles et integrales partes, causæ, effecta, et accidentia seu cæremoniæ declarantur. In posteriori vero de præceptis omnibus, quæ ad tale sacramentum pertinent; quibus modis ac temporibus, et servanda sint, et contra ea peccari possit; et an censuræ aliquæ, vel Ecclesiasticæ pœnæ eis annexæ, sint transgressoribus impositæ, copiose disseritur.

Prima pars, quæ est de sacramentis in genere, primis octodecim disputationibus absolvitur, ex quibus quatuordecim priores, partem speculativam, quatuor reliquæ moralem continent.

Pars secunda, quæ est de baptismo, tredecim habet disputationes, a decima nona usque ad trigesimam primam, quarum ultima moralis est.

Pars tertia, quæ est de confirmatione, septem disputationibus comprehenditur, a trigesima secunda usque ad trigesimam octavam, quarum sola ultima moralis est.

Pars quarta, quæ est de sacramento Eucharistiæ, triginta quatuor disputationibus continetur, a trigesima nona usque ad septuagesimam secundam. In prioribus viginti septem, Eucharistiæ declaratur mysterium; et non solum scholasticæ quæstiones, sed etiam controversiæ cum hæreticis accurate disseruntur. In septem residuis, moralis doctrina, ad hoc sacramentum pertinens, proponitur.

Quinta et ultima pars, quæ est de sacrificio Missæ, decem et sex disputationibus concluditur, a septuagesima tertia usque ad octogesimam octavam. Atque ex his priores septem fidei dogmata continent, declarant, ac defendunt; reliquæ vero novem morales sunt, et præcepta omnia ad Missam spectantia, tam quæ ad dicentes seu offerentes, quam ea, quæ ad ministrantes et audientes pertinent, simul et omnes Missæ cæremonias, continent ac explanant.

Quid in singulis disputationibus, earumque membrorum seu sectionibus tractetur, in proprio indice inferius<sup>1</sup> demonstratur.

<sup>1</sup> In nostra editione isti indices in capite voluminum præmittuntur.

# COMMENTARIJ ET DISPUTATIONES

P. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

IN TERTIAM PARTEM D. THOMÆ

A QUESTIONE SEXAGESIMA, USQUE AD OCTOGESIMAM TERTIAM.

## PRÆFATIO.

1. *Sacramenta septem columnæ, septemque fontes sunt. — Sacramentorum ratio rebus humanis accommodatissima est. — Sacramenta nova veteribus præstantiora.* — Cum D. Thomas in superioribus quæstionibus doctrinam de Verbo incarnato copiose tradiderit, ad sacramentorum considerationem jure progreditur: quoniam septem sacramenta, ab eodem Verbo instituta, et septem columnæ sunt, quas divina sapientia excidit, ut super eas Ecclesiæ suæ domum ædificaret, ut significarunt Cyprianus, epist. 63, et Augustinus, 47 de Civit., cap. 20, et uberrimi etiam sunt gratiæ fontes, quos idem Verbum Dei, et fons vitæ in hac domo sua perennes esse voluit, ut filii ejus aquam vitæ ex eis haurirent, sicut Isa., cap. 42, prædixerat: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Non de fontibus fluminis Ægypti, inquit Hieron., sed de fontibus Jesu, qui in Evangelio clamabat, qui sitit, veniat ad me, et flumina de ventre ejus exhibunt. Admirandum sane divinæ sapientiæ artificium, atque infinitæ virtutis divini verbi singulare indicium, quod res externa specie raducas, atque labantes, firmum æterni ædificii fundamentum effecerit, et sub signis ex corporeis elementis concretis, quibus nihil excelsius, nihilque divinius, quam cæteris rebus inesse videtur, cœlestia mysteria omnemque spiritualem animi salutem contineri voluerit. Per hæc enim divina sacramenta, ut Concil. Trident., sess. 7, in proem., docuit, omnis vera justitia, vel incipit, vel certe augetur, vel amissa reparatur. Qua in re benignissime divina providentia sese fragili hominum naturæ

accommodavit: cum enim hæc sit hominis imbecillitas, ut res, quæ sub sensum non cadunt, non nisi ex iis, quæ sensibus obijciuntur, conjectare possit, ad divinæ providentiæ sapientiam, suavitatemque pertinuit, divina mysteria sub sensibilibus signis homini proponere, eaque instrumenta efficere, quibus et ab homine colatur Deus, et a Deo gratiæ beneficium et auxilium homo suscipiat. Hæc quoque est eorum sacramentorum, quæ Ecclesiæ suæ Christus providit, dignitas, et majestas, ob quam longe sanctiora, ac diviniora, quam sacramenta vetera censentur, teste Ambrosio, 4 de Sac., cap. 4. Quia licet numero pauciora sint, actu tamen sunt faciliora, virtute majora, utilitate meliora, ut Augustinus, contra Faustum (lib. 19, cap. 13) scripsit. Atque de his sacramentis præsens disputatio præcipue instituitur, quamvis propter rerum similitudinem, et convenientiam, de aliis etiam, quæ in lege naturæ, aut scripta fuerunt, quasi per occasionem disseratur.

2. *Suscepti operis gravitas, utilitas et jucunditas. — Ordo et ratio totius operis.* — Jam vero ex iis quæ dicta sunt de subjecto et materia hujus doctrinæ, facile intelligi potest, quanta sit ejus dignitas, necessitas, ac obscuritas. Multa enim in ea continentur divina ac supernaturalia mysteria, quorum cognitio ac contemplatio licet humani ingenii vires, ac intelligentiam superat, tamen per sese jucundissima est, et ad Christianos mores componendos utilissima: quæ eo majori studio, ac diligentia his temporibus illustranda, et ex veterum fontibus, quorum traditione majori ex parte consistit, eruenda est, quo ab hostibus fidei vehementius impugnatur, qui hos

præclarissimos gratiæ fontes, aut prorsus obruere, aut fœdare saltem, atque imminuere totis viribus hac tempestate conati sunt. Quam ob rem non solum curandum nobis est, ut veram doctrinam, quæ ex principiis fidei colligitur, explicemus, atque illustremus, quod scholastici doctoris munus est, sed etiam, ipsa fidei dogmata confirmemus, et adversus hæreticos stabiliamus. In hac vero doctrina tradenda, eam methodum observabimus, quam et D. Thomas et reliqui omnes scriptores tenuerunt, ac rebus ipsis, et modo cognitionis humanæ consentanea est. Prius enim universe de sacramentis: postea vero in specie de singulis sacramentis novæ legis dicemus. Quia vero, ut diximus, doctrina hæc partim speculativa est, partim practica: quædam enim continet, quæ ad solam veritatis, et rerum cognitionem, alia, quæ ad mores hominum dirigendos, et componendos spectant: ideo ut claritati, et brevitati studeamus, tam generalem tractatum de communi ratione sacramentorum, quam proprios, ac speciales de singulis, in duas principes partes distinguendos curabimus: quarum prior veluti speculativa sit, in qua inquiratur, an sit, et quid sit sacramentum, et quas causas, effectus, proprietatesve habeat: posterior vero sit practica et moralis, et in ea explicentur præcepta, quæ ad hujusmodi sacramenta pertinent, et quibus modis contra ea peccare contingat, et si quæ fortasse ecclesiasticæ pœnæ, aut censuræ ob hujusmodi transgressionem impostæ sunt. Quoniam vero in sacramentorum administratione præter ea, quæ sunt de ipsorum substantia, multa sunt ex Ecclesiæ institutione et præcepto ad majorem ornatum ac reverentiam sacramentorum adjuncta, quæ veluti accidentia sacramentorum, vel cæremoniæ, aut sacramentalia dici possunt, quorum cognitio studiosis omnibus, ac præcipue sacramentorum ministris admodum necessaria est, ideo de iis etiam suo loco et ordine disputabimus, vel in communi in disputatione de sacramentis in genere, vel in singulis sacramentis, proprios uniuscujusque ritus explicando.

3. Unde sacramentum dicatur et quid significet, nempe certum pecuniæ depositum. — Juramentum. — Rem cui subest occultum mysterium. — Rem, quæ vim occultam, et supernaturalem continet. — Quid in præsentis sacramentum significet. — Quæ nos sacramenta, Græci mysteria appellant. — Prius vero quam ad disputandum de rebus accedamus,

pauca de nomine sacramenti præmittenda sunt: quoniam hujus temporis hæretici etiam nomen ipsum rejiciunt in ea significatione, qua a Catholicis usurpatur, quia et nova, et in Scriptura sacra, et in sanctis Patribus minime usitata eis visa est. Sacramentum igitur Latinis a sacro deductum est, et prius impositum fuit ad significandum pignus quoddam, vel pecuniam, quam litigantes apud Pontificem deponere solebant, ut qui causa caderet, pecuniam suam amitteret, quæ ærario publico applicabatur, et sacramentum dicebatur, eo quod in loco sacro servaretur. Ita Varro, lib. 4, de Lingua latina, et colligitur ex Cicerone, epist. 110. Deinde omne juramentum, vel quod juramento affirmatum est, dictum est sacramentum: quæ significatio in jure præsertim usitata est, lib. Sacramenta puberum, C. Si adversus venditionem, et cap. Si sacramenta, 22, q. 4, et sæpe alias. Sic Hieron., epist. 1, ad Heliodorum scripsit: *Recordare tyrocini tui diem, quo Christo in baptisate consepultus in sacramenti verba jurasti pro nomine ejus non te patri parciturum esse, non matri.* Atque eodem modo Tertullianus, lib. ad Martyres, cap. 3: *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cum in sacramenti verba respondimus;* et lib. de Corona militis, cap. 11: *Credimus humanum sacramentum divino superduci licere, et in alium dominum respondere post Christum?* At vero in Scriptura sacra hæc vox præcipue significare solet rem aliquam divinam, hominibus occultam, eorumque cognitionem superantem, ut sacramentum idem sit, quod sacrum secretum, quod a Græcis mysterium appellatur; sic Sap. 2: *Nescierunt sacramenta Dei;* ad Ephes. 1: *Ut notum faceret sacramentum voluntatis suæ;* 1 ad Tim. 3: *Magnum est pietatis sacramentum,* quibus locis Græce respondet vox mysterium, quæ interdum a Latino interprete retinetur, ut Math. 13: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei,* et 1 ad Cor. 13: *Si noverim mysteria omnia,* quod Augustinus, de Gratia et lib. arbit., cap. 17, legit: *Si sciero sacramenta omnia;* et 1 Cor. 15: *Ecce mysterium vobis dico,* et ad Coloss. 4: *Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi;* ad Ephes. autem 3 utraque vox posita est: *Secundum revelationem notum factum mihi est sacramentum; sicut supra scripsi in brevi, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi.* Unde veluti per analogiam quamdam derivata est hæc vox ad significandum secreta Regum,

vel amicorum, Tob. 12: *Sacramentum regis abscondere bonum est,* et Prov. 20: *Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulentè, et dilatat labia sua, ne commiscearis.* Hinc vero ulterius factum est, ut verba illa seu res, quæ rem aliquam occultam, divinam, ac supernaturalem significant, sacramenta dicantur, eo quod veluti in se contineant, et occultent sacra mysteria: sic Paulus ad Ephes. 5, de conjugio inter primos homines in paradiso contracto, dixit: *Sacramentum hoc magnum est,* eo quod conjunctionem Christi cum Ecclesia significaret; et Danielis 2: *Mihi sacramentum hoc revelatum est;* et infra: *Vere Deus est revelans mysteria, quia tu potuisti explicare hoc sacramentum;* et Apoc. 1: *Sacramentum septem stellarum.* Et in eadem significatione utuntur sæpe Sancti hac voce, ut Cyprianus, epist. 63, dicens, omnia testimonia, et sacramenta sacra Scripturæ Christum prædixisse; et Tertullianus, lib. de Præscript. adversus hæret., cap. 40: *Ipsas, inquit, res sacramentorum divinatorum in idolorum mysteriis emulatur.* Ubi Pamelius multa de nomine sacramenti congerit. Ambrosius etiam, lib. 4 de Sacram., cap. 4, transitum Judæorum per mare rubrum, manna, et alias similes veteres figuras Judæorum sacramenta vocat, et eodem modo loquitur Lactant., lib. 4, cap. 17, et D. Augustinus, lib. 2 contra adversarium leg. et prophet., cap. 9, et lib. 8 de Genesi ad litteram, cap. 4 et 5, lib. 2 de Pecc. merit. et remis., cap. 26, lib. 4 de Symbol. ad Catechum., cap. 4, et 49 contra Faustum, cap. 11, epist. 23, et aliis innumeris locis. Ex hac vero generali significatione amplius contracta est hæc vox communi usu Ecclesiæ, SS. Patrum, et Theologorum, ad significandum quædam specialia signa sensibilia spiritualem gratiam continentia, ac significantia, cujus significationis integra ratio ex ipsius rei explicatione pendet, quam statim disputatione sequenti trademus. Fuit autem necessarium Theologis, ad explicanda propria nostræ fidei mysteria, propriis etiam ac specialibus vocibus ea exprimere, ac significare, et ideo, sicut in aliis mysteriis Incarnationis, aut Trinitatis, novas voces adinventerunt, ita hic non communem, et analogam vocem adaptarunt, et accommodarunt. Atque in hunc modum utuntur voce sacramenti Concilia, præsertim Lateran. sub Innocent. III, Constantien., Florent. et Trident., et Victor Papa, epist. 2, Anastasius II, in epist. ad Anastas. Imp., cap. 8, et Nicol. I, in suis re-

scriptis, tit. 11, cap. 5; ex Patribus, Augustinus, epist. 118, cap. 4, et 3 lib. de Doctrin. Christ., cap. 49; Cyprianus, serm. de Ablut. pedum, et serm. de Baptism.: *Verborum, inquit, solemnitas, et sacri invocatio nominis, et signa, institutionibus Apostolorum, sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant sacramentum.* Item Isidor., lib. 6 Etym., cap. 48; Hier., Dial. contra Lucifer., et Ezech. 44; Lactant. et Tertull. passim. Atque in eadem significatione pro voce, Sacramentum, utuntur Græci hac voce, Mysterium, ut Concilium Nicænum, can. 14, bi interpret vertit, sacramentum; ut Basilius, lib. de Spiritu Sancto, cap. 23; et Origenes, homil. 5 in Numer.; Cyrillus Hierosol. in Catech. mystagogicis; et interdum vocant sacra, aut mystica symbola, ut Dionysius, de Ecclesiast. Hierar., et Basilius, in Exhort. de baptism.: et hæc de nomine sacramenti sufficiant.

4. Auctores qui de sacramentis scripserunt. — Superest, ut nonnullos ex præcipuis auctoribus commemoremus, qui de hac materia disseruerunt. Ex Patribus pauci disputant in genere de sacramentis, sed de singulis speciebus, ut postea videbimus: solus Ambrosius quosdam libros de sacramentis inscripsit et alterum de mysteriis, sed in eis fere de Baptismo et Eucharistia solum disputat. Hugo etiam Victor prolixum opus de sacramentis edidit, sed in illo de omnibus mysteriis nostræ fidei tractat; solum lib. 4, part. 9, quædam de sacramentis in genere scripsit, eodem fere sensu, quo nos loquimur. Quæ repetit in Summa sententiar., tract. 4, a quo multa sumpsit Magister sentent., qui de hac re disseruit lib. 4, a principio, ubi scholastici eadem late persequuntur. Contra hæreticos vero illustrarunt hanc materiam diligenter Waldensis, tom. 2 de Sacram.; Roffens. in refut. art. Luther, art. 1; Ruardus in articulis Lovaniensibus, art. 4; Alanus, lib. de Sacram. in genere; Eckius, hom. de Sacram.; Tilet. in defensione Concil. Trident. contra Kemnitium circa sess. 7; Hosius in Confess., cap. 37, et seq.; Lindan. lib. 4 Panop., a principio; Bellarm., tom. 2, a princ.

#### QUÆSTIO LX.

DE SACRAMENTIS, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Post considerationem eorum, quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ sacramentis, quæ ab ipso

Verbo incarnato efficaciam habent. Et prima consideratio erit de sacramentis in communi. Secunda de unoquoque sacramentorum in speciali.

Circa primum quinque considerata sunt :

1. Quid sit sacramentum.
2. De necessitate sacramentorum.
3. De effectibus sacramentorum.
4. De causa eorum.
5. De numero.

Circa primum quærentur octo :

1. Utrum sacramentum sit in genere signi.
2. Utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum.
3. Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum, vel plurium.
4. Utrum sacramentum sit signum, quod est res sensibilis.
5. Utrum ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis.
6. Utrum ad sacramentum requiratur significatio, quæ est per verba.
7. Utrum requirantur determinata verba.
8. Utrum illis verbis possit aliquid addi, vel subtrahi.

#### ARTICULUS I.

Utrum Sacramentum sit in genere signi (4, d. 1, quæst. 1, art. 1, quæst. 1, et art. 3, ad 1, et art. 4, quæst. 1, ad 1).

1. Ad 1 sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non sit in genere signi. Videtur enim sacramentum dici a sacrando, sicut medicamentum a medicando. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causæ, quam ad rationem signi. Ergo sacramentum magis est in genere causæ, quam in genere signi.

2. Præterea, sacramentum videtur aliquod occultum significare, secundum illud Tobie 12 : Sacramentum Regis abscondere bonum est. Et Ephes. 3 : Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo. Sed illud, quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi. Nam signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire, ut patet per Augustinum in 2, de Doctrin. Christian. (cap. 1, circa princ.). Ergo videtur, quod sacramentum non sit in genere signi.

3. Præterea, juramentum quando iure sacramentum nominatur, dicitur enim in Decret. (22, quæst. 5, cap. Parvuli qui sine ætate) :

Parvuli, qui sine ætate rationabili sunt, non cogantur jurare, et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum (id est, juramentum) accedat. Sed juramentum non pertinet ad rationem signi : ergo videtur, quod sacramentum non sit in genere signi.

Sed contra est quod Augustinus dicit in 10 de Civitate Dei, c. 15 : Sacrificium visibile, invisibile sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est.

Respondeo dicendum, quod omnia, quæ habent ordinem ad unum aliquid (licet diversimode), ab illo denominari possunt, sicut a sanitate, quæ est in animali, denominatur sanum, non solum animal, quod est sanitatis subjectum, sed dicitur, medicina sana, in quantum est sanitatis effectiva : diæta vero in quantum est conservativa ejusdem, et urina, in quantum est significativa ipsius. Sic igitur sacramentum potest aliquid dici, vel quia in se habet aliquam sanctitatem occultam (et secundum hoc, sacramentum idem est quod sacrum secretum) vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causæ, vel signi, vel secundum quamcumque aliam habitudinem. Specialiter autem nunc loquimur de sacramentis, secundum quod important habitudinem signi, et secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi.

Ad 1 ergo dicendum, quod quia medicina se habet ut causa effectiva sanitatis, inde est quod omnia denominata a medicina dicuntur per ordinem ad unum primum agens, et propter hoc medicamentum importat causalitatem quamdam. Sed sanctitas, a qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causæ formalis vel finalis, et ideo non oportet, quod sacramentum semper importet causalitatem.

Ad 2 dicendum, quod ratio illa procedit, secundum quod sacramentum idem est quod sacrum secretum. Dicitur autem non solum Dei secretum, sed etiam Regis, esse sacrum et sacramentum, quia secundum antiquos, sancta vel sacrosancta dicebantur, quæcumque violari non licebat, sicut etiam muri civitatis, et personæ in dignitatibus constitutæ. Et ideo illa secreta sive divina, sive humana, quæ non licet violari, quibuslibet publicando, dicuntur sacra vel sacramenta.

Ad 3 dicendum, quod etiam juramentum habet quandam habitudinem ad res sacras, in quantum scilicet est quædam contestatio facta per aliquid sacrum. Et secundum hoc

dicitur juramentum esse sacramentum, non eadem ratione, qua nunc loquimur de sacramentis, non tamen æquivoce sumpto nomine sacramenti, sed analogice, scilicet secundum diversam habitudinem ad aliquid unum, quod est res sacra.

#### COMMENTARIUS.

1. De signo significante ad placitum, esse sermonem. — Significatio vocum tantum ex usu probari potest. — Explicatur D. Thomas essentiam, ac definitionem sacramenti, convenienti ordine illius genus ante omnia inquiri, et quamvis solum de signo in communi titulum proponat, tamen specialiter loqui videtur de signo significante ad placitum, seu ex impositione, et hoc sensu respondet sacramentum esse signum quoddam : quam veritatem non aliter probat, nisi, quia signum sanctitatis, seu rei sacræ occultæ, potest convenienter significari hoc nomine sacramenti, nam omnia, quæ dicunt habitudinem ad eandem formam possunt eadem voce, saltem secundum analogam rationem, significari ; quod autem in præsentia materia, in hac significatione hæc vox sumatur, supponit ex communi usu eorum, qui de ea scribunt, aut loquuntur, significatio enim vocum ex usu tantum probari potest. Quæstiones autem, quæ sunt de quidditate vel essentiis rerum, nec tractari, nec expediri a nobis possunt, nisi vocum significatio ex communi modo loquendi supponatur. Et ita procedit D. Thomas tam in hoc articulo, quam in duobus sequentibus, ad quorum expositionem deserviunt, quæ de nomine sacramenti præmisimus.

2. Duæ quæstiunculæ insinuantur. — In solutione ad primum indicat D. Thomas unam vel alteram quæstiunculam. Prior est, cum medicamentum non significet rationem signi, sed causæ, cur non idem dicamus de sacramento? nam sicut medicamentum dicitur a medicando, ita sacramentum a sacrando. Et respondet medicamentum dictum esse a medicina, quæ est causa effectiva sanitatis, et ideo non denominari per modum signi, sed per modum causæ : sacramentum autem denominari a sanctitate, quæ non significatur per modum causæ efficientis, sed formalis vel finalis : et ideo, sacramentum non necessario significari per modum causæ efficientis sanctitatem, sed aliquid denominatum a sanctitate, vel intrinsece, vel extrinsece;

atque hoc modo comprehendere potest sub significatione sua id, quod est signum sanctitatis. Ad quod amplius explicandum addi potest, quamvis medicamentum dictum sit a medicina, non tamen dicere habitudinem ad illam, sed ad sanitatem, ad quam habet habitudinem ejusdem generis, quam habet medicina, cui medicamentum subordinatur, et ideo participare rationem causæ, quam habet medicina : at vero sacramentum ita dicitur a sanctitate vel re sacra, ut dicat habitudinem ad illam, et ab illa denominetur, ut a termino, seu forma extrinseca : hæc autem habitudo potest esse multiplex, et una est habitudo signi, quæ propterea optime potest illa voce significari. Juxta quam responsionem non erit necessarium, quod in argumento sumitur, sicut medicamentum dicitur a medicando active, ita sacramentum dici a sacrando etiam active; non enim hoc convenit omni sacramento, præsertim loquendo de perfecta sanctificatione, quæ est per gratiam : loquendo enim latius de sanctificatione, aliter dicendum esset, ut in disputatione latius explicabimus. Hinc videtur oriri secunda dubitatio, cum sacramenta sint causa, et signa rei sacræ, cur potius dicantur constitui in genere signi, quam in genere causæ : quæ attingit multa tractanda in secunda disputatione, et dicendum breviter est, sacramentum potissimum denominari a sanctitate perfecta, quæ est maxime occulta et supernaturalis : quanquam autem aliqua sacramenta sint causæ hujus sanctitatis, non tamen omnia, et ideo non est hoc de ratione sacramenti secundum se; esse autem signum convenit omni sacramento, et ideo merito dicitur sub hoc genere sacramentum constitui.

#### ARTICULUS II.

Utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum (infra quæst. 64, art. 2, et 1. 2, quæst. 101, art. 4, corp., et quæst. 102, art. 5, corp., et 4, d. 1, quæst. 1, art. 1, quæst. 1).

1. Ad 2 sic proceditur. Videtur, quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum. Omnes enim creaturæ sensibiles sunt signa rerum sacrarum, secundum illud Rom. 1 : Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Nec tamen omnes res sensibiles possunt dici sacramenta. Non ergo omne signum rei sacræ est sacramentum.

2. Præterea, omnia, quæ in veteri lege

fiabant, Christum figurabant, qui est Sanctus sanctorum, secundum illud 1 ad Cor. 19: Omnia in figura contingebant illis, et Col. 2: Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Nec tamen omnia gesta Patrum veteris Testamenti, vel etiam omnes cæremoniæ legis sunt sacramenta, sed quædam specialiter, sicut in secunda parte habitum est (1. 2, quæst. 101, art. 4). Ergo videtur, quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum.

3. Præterea, etiam in novo Testamento multa geruntur in signum alicujus rei sacræ, quæ tamen non dicuntur sacramenta, sicut aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, et similia. Non ergo omne signum rei sacræ est sacramentum.

Sed contra est, quod definitio convertitur cum definito. Sed quidam definiunt sacramentum per hoc, quod est sacræ rei signum, et hoc etiam videtur ex auctoritate Augustini (in art. præc., arg. Sed cont.) supra inducta. Ergo videtur, quod omne signum rei sacræ, sit sacramentum.

Respondeo dicendum, quod signa proprie dantur hominibus, quorum est, per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacræ ad homines pertinentis, ut scilicet, proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.

Ad 1 ergo dicendum, quod creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet, sapientiam et bonitatem divinam, in quantum sunt in seipsis sacra: non autem in quantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta, secundum quod nunc loquimur de sacramentis.

Ad 2 dicendum, quod quædam ad vetus Testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se sanctus est. Quædam vero significabant sanctitatem ejus, in quantum per ea nos sanctificamur, sicut immolatio agni Paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta.

Ad 3 dicendum, quod res denominatur a fine et complemento, dispositio autem non est finis neque perfectio. Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur sacramenta (de quibus procedit objectio), sed solum ea quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ.

## COMMENTARIUS.

Quid sit sacramentum definitur. — Duplex sensus definitionis. — Explicato genere inquit D. Thomas differentiam, ut definitionem sacramenti compleat; et quoniam ratio signi respectiva est, quæ speciem sumit a termino, ideo ex parte rei significatæ per sacramentum, illius definitionem complet, dicens, sacramentum esse signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines, quæ particula reduplicativa duplicem sensum habere potest. Prior est, si cadat supra rem sacram, ita ut sensus sit, sacramentum debere significare rem sacram sanctificantem hominem, et quatenus illum sanctificat. Posterior est, ut reduplicatio cadat in ipsum sacramentum, et sensus sit, sacramentum, quatenus hominem sanctificat, debere esse sacræ rei signum; et quamvis uterque sensus in re sit aliquomodo verus, nam utrumque horum pertinet ad rationem sacramenti, ut postea explicabimus, tamen prior revera est a D. Thoma intentus, qui loquitur de sanctificatione hominis simpliciter, quæ per gratiam fit, ut aperte explicat in solutione ad tertium, et ita est clarus totus contextus. Quomodo autem definitio sic explicata sufficiat ad essentiam sacramenti declarandam, in sequenti disputatione tractabitur.

## ARTICULUS III.

Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum (4, d. 1, q. 1, art. 1, quæst. 1, ad 4, et art. 3, corp.).

1. Ad 3 sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non sit signum, nisi unius rei. Id enim, quo multa significantur, est signum ambiguum, et per consequens fallendi occasio, sicut patet de nominibus æquivocis. Sed omnis fallacia debet removeri a Christiana religione, secundum illud Coloss. 2: Videte, ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam. Ergo videtur, quod sacramentum non sit signum plurium rerum.

2. Præterea, sicut dictum est (art. præced.), sacramentum significat rem sacram, in quantum est humanæ sanctificationis causa. Sed una sola est causa humanæ sanctificationis, scilicet sanguis Christi, secundum illud Hebr. ult.: Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Ergo videtur, quod sacramentum non significet plura.

3. Præterea, dictum est (art. præced., ad 3), quod sacramentum proprie significat ipsum finem sanctificationis; sed finis sanctificationis est vita æterna, secundum illud Rom. 6: Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Ergo videtur, quod sacramentum non significet nisi unam rem, scilicet vitam æternam.

Sed contra est, quod in sacramento altaris est duplex res significata, scilicet, corpus Christi verum, et mysticum, ut August. dicit in lib. sent. Prospero (de consec., dist. 2, cap. Hoc est quod dicimus).

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. præced.), sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi, et forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia et virtutibus, et ultimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est, et signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet, passionis Christi, et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ, et prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ.

Ad 1 ergo dicendum, quod tunc est signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud. Sed quando significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum sed certum, sicut hoc nomen homo significat animam et corpus, prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria prædicta, secundum quod quodam ordine sunt unum.

Ad 2 dicendum, quod sacramentum, in hoc quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectum, qui intelligitur in ipsa causa sanctificante, prout est sanctificans.

Ad 3 dicendum, quod sufficit ad rationem sacramenti, quod significet perfectionem quæ est forma, nec oportet quod solum significet perfectionem, quæ est finis.

## COMMENTARIUS.

Explicatur D. Thomas. — In corpore articuli solum explicat D. Thomas quomodo fieri possit, ut idem sacramentum plura significet, quæ ordinem dicunt ad sanctificationem nostram, vel per modum formæ, vel

per modum causæ efficientis, vel finalis: quod autem hoc sit de ratione sacramenti non probat D. Thomas; imo neque id aperte affirmat, sed solum dicit, hæc omnia significari per sacramenta: fieri autem potest, ut hoc conveniat omnibus sacramentis, quæ nunc habemus, quamvis non sit de ratione sacramenti ut sic, sicut revera non est: potest enim optime definitio sacramenti data præcedenti articulo intelligi atque salvari cum sola significatione formali sanctitatis, sine significatione propria atque immediata causarum ejus. Quin potius, quod omnibus sacramentis conveniat, illa tria significare, scilicet præteritam Christi passionem, præsentem gratiam, et futuram gloriam, asseritur quidem a D. Thoma, non tamen probatur, sed (ut Cajetanus dixit), ex communi modo loquendi omnium, ut clarum sumitur: quod ut verum sit, necessario intelligendum est de sacramentis novæ legis, nam vetera (licet veram rationem sacramenti participarent) nec præsentem gratiam, nec futuram gloriam semper significarunt, quæ omnia in sequenti disputatione latius disputabuntur.

## DISPUTATIO I.

## DE ESSENTIA AC DEFINITIONE SACRAMENTI.

Quid sit sacramentum, primo per rationem metaphysicam, deinde per physicam ostendendum. — Cogimur doctrinæ ordinem aliquantulum invertere, prius, quid sit sacramentum, quam an sit inquirendo (sicut D. Thomas fecit), quia antequam sacramenta esse ostendamus, necesse est exacte intelligere, quid nomine sacramenti significetur: significatio autem hujus vocis tam est conjuncta cum proprietate et essentia ipsius rei, ut sine hujus cognitione non possit intelligi, et ab omni alia æquivoca vel analogâ significatione separari. Dicemus ergo prius de quidditate sacramenti, quam in hac disputatione per rationem metaphysicam generis et differentiæ, in sequenti vero per rationem quasi physicam, scilicet materiæ et formæ, explanabimus.

## SECTIO I.

Utrum sacramentum sit sacrum signum aliquam sanctificationem homini conferens, vel significans.

1. Ratio dubitandi. — Non inquiri, an sit hæc propria et exacta definitio sacramenti: